

Aristotelem perperam limitare activitatem primi motoris, et negare divinam providentiam, dubitare de immortalitate animae, false definire virtutem, errare de summo bono, etc.

2° Quum contra Plethonem ardentem Aristotelem defenderent *Theodorus Gaza*, Thessalonicensis, † 1478; — *Georgius Trapezuntius*, 1396—1486, qui Plethonem etiam polytheismi insimulatur; — et *Georgius Scholarius Gennadius*, Constantinopolitanus Patriarcha, † 1464; — tum medius quasi conciliator intervenit *Bessarion*, Trapezuntius, 1395—1472, Nicaenus archiepiscopus, postea Cardinalis, Pletonis discipulus sed multo moderatior.

3° *Marsilius Ficinus*, Florentinus, 1433—1499, princeps academiae Platonicae a Cosmo de Medicis institutae, verum et genuinum sensum philosophiae Platonicae haurire satagit, tum ex fontibus antiquioribus quibus ipse Plato usus fuerit, tum ex Neoplatonicis tanquam interpretibus. Horum operum versiones latinas bonas edidit, quibus suos commentarios addidit. Creationem admittit; sed in ideologia Ontologismum recentiorem praeformat.

III. Schola Cabbalistica.

1° *Joannes Picus de Mirandola*, 1463—1494, studuit Bononiae, Patavii, Parisiis, tandem Florentiae. Totum se Platonismo dedit. Quam doctrinam ex libris Veteris Testamenti fuisse haustam ratus, linguae hebraicae librisque Cabbalisticis incubuit, Platonismum Cabbalae mixtum protulit; idque in eum finem ut religionem christianam contra Judaeos et Infideles defenderet. — Anno aetatis 24, Romae theses proposuit 900, de omni re scibili, adversus omnes universi doctos defendendas; at damnatis aliquibus earum, disputatio praepedita fuit. — Astrologiam contemnit ac refutat, sed magiam naturalem approbat. — Fere in omnibus sequitur avunculum nepos *Joannes Franciscus Picus de Mirandola*, † 1533.

2° *Joannes Reuchlin*, Pforzheimiensis, 1455—1522, primus ex Italia Platonismum Pythagorismo et Cabbalisticis placitis permixtum in Germaniam retulit. Cabbalam scripto et verbo docuit Ingolstadii et Tubingae.

3° *Henricus Cornelius Agrippa de Nettesheim*, Coloniensis, 1487—1535, Juris et Medicinae peritus, humanioribus litteris deditus, in philosophia Lullio et Joanni Reuchlin adhaeret, Cabbalam practicam, scilicet mysticismum et artem magicam colit et evolvit, non sine scepticismo aliquo.

4° *Philippus Bombastus de Hohenheim* (quod ipse fecit interpretatum: *Philippus Aureolus Theophrastus Paracelsus*), Einsiedlensis, 1493—1541, suam scientiam et artem medicam fundare in philosophia, theologia, chemia et theosophia intendit; unde scientias naturales cum scientia cabbalistica conjungit.

IV. Schola Neo-Aristotelica.

1° Praeter Aristotelicos scholasticos, qui, apud septemtrionales praesertim, in realistas et nominalistas dividebantur, de quibus cfr. supra; — et Aris-

totelicos Orientales, qui contra Plethonem et neoplatonicos decertabant, cfr. sup.; — alia fuit hoc tempore Aristotelicorum, in Italia praesertim divisio et ardens disputatio, inter *Averrhoistas* et *Alexandristas*.

2° Averrhoisticam scholam Patavii incepit *Petrus de Abano*, † 1315, medicus, — post quem *Urbanus de Bononia*, † 1403, — et alii, usque ad *Franciscum Piccolomini*, † 1604. — Horum antiquiores praecipue unitatem intellectus in omnibus hominibus defendebant, recentiores tamen tum illam tum alias cum fide pugnantem sententias mitigaverunt, et paulatim orthodoxiae conformaverunt.

3° Alexandristicam Scholam Patavii incepit *Petrus Pomponatius*, Mantuanus, 1462—1524, — *Andreas Caesalpinus*, 1519—1603, — et plures alii, usque ad *Lucilium Vanini*, † 1619. — Hi Aristotelem interpretari quaerebant ex ipsius, et commentariis Graecorum, praesertim Alexandri Aphrodisiaci (unde eorum nomen); ac praesertim contra immortalitatem animae disputabant, quae esset philosophice neganda, theologice affirmanda. — Novissimi aliqua sua ab Aristotele aliena admiscebant.

V. Stoicismus, Epicureismus, Jonismus.

1° Stoicismum antiquorum resuscitavit et cum Catholicismo conciliare conatus est *Justus Lipsius*, 1547—1606, Ysschiensis; studuit Bruxellis, Lovanii, Coloniae. Fatum interpretatur actionem divinae providentiae, rerum naturis conformem, ac proinde fixam et immutabilem. — Eum pauci sequuntur.

2° Epicureismum resuscitavit *Petrus Gassendi*, 1592—1655, sed illum corrigens et fidei dogmatibus adaptans: a) quoad cognitionis originem et processum sequitur magistrum suum; — b) animam rationalem esse spirituales admittit; — c) explicat corpora per vacuum et atomos, sed rejicit infinitudinem tum pro vacuo tum pro atomorum numero; mundi originem et ordinem non casui sed creationi divinae tribuit; — d) distinguit inter felicitatem aeternam, quae ad philosophicas quaestiones non pertineat, et temporalem, quae sit in privatione mali et possessione omnium, quantum fieri possit, bonorum.

3° Jonismum Aristotelismo praefert *Claudius Berigard*, 1592—1663, docens Pisae et Pataviae; quia errores v. c. circa ortum rerum, elementorum aeternitatem, etc. facilius corrigantur apud Jones.

CAPUT III.

A LUTHERO USQUE AD LEONEM XIII.

Ex tanta periodi praecedentis reactione contra Scholasticam veritatem, tantaque systematum atque errorum diversitate et confusione, factum est

quod fieri necessario debebat. Quum enim primum Lutherus aperte se ab Ecclesiae auctoritate avellere, eamque rebellis publice et sine ambagine impugnare ausus fuit, tum illico plerique ab omni se auctoritate religiosa liberare et mox omnem quoque aliam auctoritatem socialem et civilem abjicere, omnem traditionem deserere aggressi, novas sibi vias aperire, novas doctrinas et philosophica systemata condere coeperunt. In his tribus saeculis tres periodos distinguamus :

Sectio 1. De innovatione philosophiae.

Sectio 2. De evolutione philosophiae novae.

Sectio 3. De philosophiae reformatione.

SECTIO 1.

DE INNOVATIONE PHILOSOPHIAE, USQUE AD MEDIUM SAECULUM XVII.

Deserta igitur traditionali veritate, et Ecclesiae ductu, novas sibi quisque vias quaerentes, alii aliquid tamen ex scholis antiquis resuscitatis per humanistas retinentes, eclecticice sibi novam philosophiam confecerunt; alii vero omnem omnino antiquitatem deserentes, a primis fundamentis novitatem extruere tentaverunt. Interim tamen in Ecclesia Catholica ipsa non plene periit traditionum thesaurus. Sint ergo per hoc saeculum, a medio XVI ad medium XVII :

Articulus 1. Philosophia ex praecedentibus eclectica nova.

Articulus 2. Philosophiae modernae ortus.

Articulus 3. Philosophia scholastica.

ARTICULUS 1.

Philosophia ex praecedentibus eclectica nova.

Inter istos quaesitores novitatis, non omnes in omnibus pariter partibus philosophiae se exercuerunt, sed distinguamus ad claritatem :

§ 1. Qui magis circa logicam elaboraverunt sua systemata,

§ 2. Qui potius circa res physicas et metaphysicas,

§ 3. Qui circa ethicam et jus civile,

§ 4. Qui circa res religiosas et dogmaticas,

§ 5. Qui circa mysticam;

§ 6. Qui in scepticismum abierunt.

§ 1. CIRCA LOGICAM.

Petrus Ramus, Gallus, 1515—1572, docuit Parisiis, Calvinista, occisus est nocte Sⁱ Bartholomaei. Aristoteli maxime infensus, logicam praesertim reformavit ad usus magis rhetoricos. Dialecticam definit : « virtutem disserendi, »

dividitque in dialecticam naturalem, dialecticae artem, et dialecticae exercitationem.—Natura duce, si quis quaestionem solvere quaerit, prius rationem aliquam excogitat et argumentum invenit quo quaestioni respondeat, deinde excogitatam rationem generalem quaestioni positae particulari applicat, et respondet. — Hinc in *dialecticae arte* duae sint partes : de *inventione*, et de *judicio* (i. e. applicatione ista). In priore parte dantur varii loci communes unde rationes promantur; in altera vero enumerantur tres iudicii gradus, quorum primus est *sylogismus*, quo rationes et applicationes ita ordinantur ut sequatur quaestionis solutio; secundus est *dispositio* plurium solutionum in unum corpus totum doctrinae per definitionem et divisionem; tertius est omnium scientiarum et doctrinarum sic acquisitarum *reductio ad Deum* cognoscendum et laudandum. — In tertia tandem parte, Dialecticae *exercitationem* reponit in *interpretatione* optimorum exemplorum apud auctores antiquos, in *scriptione* propria, et *dictione*.— Late sparsa et accepta fuit ista reformatio dialecticae, praesertim in Helvetia, Germania et Anglia, sed et multos adversarios habuit; bonum aliquid nimirum continebat, quod simplicitatem majorem in scientia logica quaerebat; sed infirmum hoc, quod et leges formasque cogitandi obscurius ac confusius tradebat, et ipsam logicam scientiam cum arte rhetorica confundens, utramque incompletam et imperfectam proponebat.

§ 2. CIRCA RES PHYSICAS ET METAPHYSICAS.

1° *Hieronymus Cardanus*, Paviensis, 1501—1576, medicus, mathematicus, philosophus, numerosis suis scriptis, sine ordine, sine criterio, res omnes naturales, artificiales, supernaturales, in unum systema compingere conatur : admittit intellectum unicum Averrhoistarum, mysticismum exaggeratum, artes occultas et magicas colit.

2° *Bernardinus Telesius*, Consentinus prope Neapolim, 1508—1580, studuit Mediolani, Romae, Patavii. Fundavit Neapoli famosam Academiam Telesianam seu Consentinam. — Combinationem philosophicam juxta principia Heracliti et Parmenidis composuit, quae suo quidem tempore magno plausu excepta, nonnihil etiam in immediate posteriores influxit philosophos, nihil tamen in generalem philosophiae historiam.

3° *Thomas Campanella*, Calaber, 1568—1639, Dominicanus, Telesii discipulus, ob conjurationis crimen politicum diu ab Hispanis in carcere retentus, deinde in carceribus romanae inquisitionis, tandem Parisiis ultimos vitae annos vixit, vir inquieti animi, reformationum cupidus. — Aristotelem maxime impugnat. Omnes metaphysicas quaestiones dividit in principia sciendi, principia essendi, et principia operandi. — a) Principia sciendi contra scepticos defendit, cognitiones nimirum sensibilem experimentalem, et intellectualem; — b) Principia essendi reducit ad potentiam, sapientiam, amorem, quia omnis res, quatenus est, potest agere vel pati, novit entitatem,

et tendit ad finem; unde et principia non essendi sunt impotentia, insipientia, odium; — Deus produxit primo spatium, dein materiam, demum duas vires: calorem et frigus, et in creaturas influit tres magnos influxus: necessitatem, fatum, harmoniam; — totum universum est animatum ab anima una; — c) Principia operandi sunt potentia, sapientia, amor, libertas indifferentiae; quae a passionibus continuo depravantur; et philosophiae politicae est stabilire in societate harmoniam potentiae, sapientiae, amoris.

4° *Giordano Bruno*, Nolanus, 1550—1600; jam adolescens moribus corruptus, postea Dominicanus, sed deinde apostata, corruptione, contemptu et odio religionis christianae famosus, tandem Romae haereticorum poena vivus crematus. — Is Lullii methodo utens, Nicolai Cusani sententias ad extremas consequentias evolvit, nempe ad pantheismum.

§ 3. CIRCA ETHICAM ET IUS CIVILE.

1° *Nicolaus Machiavelli*, Florentinus, 1469—1527, vix aliquod positivum systema exstruit, sed potius ea destruit quae ab omnibus admittebantur. Vult nimirum ut patriae prosperitati et magnitudini libertatique omnia cedant, omnia apta media eo ipso fiant legitima et moraliter bona, quod sint utilia. — Jam famosum modernum principium nationalitatum statuit; Ecclesiaeque est infensus, quae hujus principii applicationem, Italiaeque totius unitatem politicam impedit.

2° *Thomas Morus*, Londinensis, 1480—1535, regni Angliae cancellarius, sub Henrico VIII, capite truncatus ob negatum jusjurandum impiae regis supremae. — Describit insulam ignotam idealem: *υτοπία*, regiminis perfecti, agricultura maxime nitentis, bonorumque omnium communitate. — Post eum multi alii Utopistae passim sua varia somnia conscripserunt; plerique regimen republicanum democraticum, bonorum communitatem vario gradu, religionum libertatem laudant.

3° Circa *originem auctoritatis* principum eo saeculo lis fuit inter *protestantes reformatores*, qui omnem auctoritatem principibus immediate a Deo conferri docere coeperunt, eamque nimium extollere tamquam semper juris divini et omnipotentem jurium et officiorum fontem, et *catholicos scholasticos*, qui auctoritatem docebant esse juris divini quidem, sed mediante populo collatam, eamque intra justitiae limites et legi aeternae subditam (cfr. Bellarminus et Suarez).

4° *Hugo Grotius*, Delftanus Batavus, 1583—1645; duobus operibus suis: «Mare liberum, seu de jure quod Batavis competit ad Indica commercia,» et «de jure belli et pacis,» theoriam juris naturalis fundavit et primus elaboravit, qua re multum in posteriora ethicae studia influxit. — Dividit jura in jus divinum et jus humanum, quorum prius in Veteri et Novo Testamentis, posterius in origine humana fundatur; atque hoc iterum est duplex, jus naturale scilicet et jus voluntarium seu civile. Naturale est quod ex natura

humana deducitur, vel quod ad societatem (homini naturalem, ut patet ex facultate loquendi) conservandam necessarium, vel quod ex universali consuetudine inveteratum. — In statu primitivae innocentiae, communitas positiva bonorum omnium erat; sed post depravationem hominum necessarium fuit jus proprietatis, quod ex pacto et conventionem saltem tacita omnium ortum est. — Idem dicendum de origine societatis civilis ex pacto communi. — Contra auctoritatem civilem non praevalet proprietatis jus privatum, sed econtra status habet «dominium eminens» in omnes civium proprietates, sine compensatione publicandas ob publicam utilitatem.

5° Eadem fere viam inivit *Samuel Puffendorff*, Chemnitzinus, 1632—1694.

§ 4. CIRCA RES RELIGIOSAS ET DOGMATICAS.

1° Lutherus omnem philosophiam abhorrendam et contemptu habendam docuit; ast nihilominus necessitate adacti jam primi ejus discipuli, ad reformationem suam defendendam, philosophica argumenta conquirere, systemati alicui adhaerere coeperunt. Eclectice quidem procedebant; maximam tamen partem ex Aristotele hauriebant.

2° *Philippus Melancthon*, Brettensis, 1497—1560; doctrinis Aristotelicis admiscet Nominalismum, admittit ideas innatas, innataque principia prima et cognitionem existentiae Dei. De unitate animae rationalis et sensitivae dubitat. Libertatem humanam relate ad salutem rejicit, quoad cetera admittit.

3° *Nicolaus Taurellus*, Mompelgardensis, 1547—1606, docuit philosophiam et medicinam Basileae et Altorfii. Multus est in Aristotele impugnando, vix aliquid suum profert; auctoritatem nullam in philosophia agnoscit. Ipsa etiam protestantium dogmata non omnia tenet, quare ab aliis protestantibus aliquando male tractatus est.

4° *Laelius Socinus*, Senensis, 1525—1562, qui vixit in Helvetia, Germania, Polonia; — ejusdemque nepos *Faustus Socinus*, 1539—1604; negant Trinitatem, Divinitatem Christi, peccatum originale, sacrificium, gratiam; resuscitant proinde errores Monarchianorum, Ebionitarum et Pelagianorum; naturalismum et rationalismum adstruunt, qui late apud Polonos, Germanos, Anglos, Belgas, propagatus et in ipsis universitatibus Germaniae dominans factus est etiamnum.

§ 5. CIRCA MYSTICAM.

Doctrina Lutheri non solum rationalismo sed etiam mysticismo favet. Inde ab initio reformationis exsurgunt plures mystici.

1° *Valentinus Weigel*, Meissius, 1533—1588, studuit Lipsiae, fuit pastor in Saxonia. Distinguit inter cognitionem naturalem et supernaturalem. Prior non oritur ex objecto sed ex sola mentis activitate; neque intellectus assimilatur rebus, sed res sunt dijudicandae secundum apprehensionem subjectivam; imo lectio librorum est tantum occasio qua scientia nobis innata

excitetur. — In supernaturali cognitione contrarium obtinet : intellectus est passivus, Deus in homine habitat, et est id quod percipimus et quo percipimus; unde Deus seipsum in nobis agnoscit.

2° *Jacobus Böhme*, Görlitzensis, 1575—1624, sutor, visionarius. Scripsit germanice non paucos libros, qui in plures alias linguas versi editi fuerunt. Ejus systema migma satis inconditum est doctrinarum protestantium de gratia, alchemiae et cabbalae; legerat nempe auctor Weigel et Paracelsum; neque pantheismo alienus est theosophus, manichaeismi, supernaturalismi et praedestinatianismi placita combinans... In philosophiam et theologiam protestantium germanicorum multum influit, eique adhaeserunt vel ad eum reducti sunt fere quotquot inter protestantes speculative suas doctrinas tractare voluerunt; idque eo eventu ut perpetuo auferentur confusiones et dissensiones eorum.

§ 6. SCEPTICISMUS.

In tanta aberrationum varietate fieri non poterat, ut ad scepticismum non aliqui irrisores devenirent. Id accidit *Michaeli Montaigne*, Petragoricensi, 1533—1592, viro multae lectionis et eruditionis; — *Petro Charron*, Pariensi, 1541—1603, juristae, sacerdoti canonico, prioris amico et discipulo; — *Francisco Sanchez*, Lusitano, 1562—1632, medicinae et philosophiae professori Tolosae.

ARTICULUS 2.

Philosophiae modernae ortus.

Eorum qui, cum omni praecedenti traditioni valedixissent, a primis fundamentis novitatem extruere aggressi sunt, apte duae directiones diversae atque sibi invicem fere oppositae discerni possunt. Alii enim initium philosophandi sumunt ab experientia, eique nimium adhaerentes in empirismum dilabuntur; alii econtra sectantes principia rationis, rationalismum excolunt. Praeter quas duas directiones nova systemata exoriuntur ex reagentibus aliis.

§ 1. Empirismus et Deismus Baconianus.

§ 2. Rationalismus Cartesianus.

§ 3. Conatus reagentis Platonismi, Mysticismi, Scepticismi.

§ 1. EMPIRISMUS ET DEISMUS BACONIANUS.

1° *Franciscus Bacon de Verulamio*, Londinensis, 1561—1626, Cancellarius Angliae regni (1619) sed mox ob concessionem et venalitatem omnibus muneribus et dignitatibus privatus (1621). — Injuriose contemnit Scholasticos ob defectum observationis naturae et ob usum syllogismi; salutem omnem

philosophiae in naturae observatione et methodo inductiva reponit, quas tanto ardore extollit, ut licet ipse alios scientiae fontes admittat, merito tamen ab omnibus pater empirismi recentioris habeatur. — Rationem novae philosophiae exponit in operibus nomine « instauratio magna » insignitis. Cujus tres sunt partes : 1) « de dignitate et augmentis scientiarum, » 2) « novum organum scientiarum, » 3) imperfectum mansit opus quod ex auctoris consilio expositionem scientiarum praebere debuit. — 1) In prima parte exhibet ambitum scientiarum : « globum intellectualem. » Distinguit nempe tres facultates cognitivas humanas : memoriam, phantasiam, rationem. — Ad memoriam pertinet historia, ad phantasiam poesis, ad rationem scientia seu philosophia proprie dicta. Has vero ita subdividit :

a) historia est :

naturalis, describens

{ naturam liberam in cursu ordinario phaenomenorum regularium.
 { naturam excentricam seu phaenomena monstrosa.
 { naturam homini subjectam, seu phaenomena artificialia, artes.

civilis, quae est

{ civilis proprie dicta.
 { sacra.
 { litteraria.

b) poesis est narrativa, vel dramatica, vel parabolica.

c) scientia proprie dicta est :

humana — ex viribus rationis naturalis

{ prima — de primis communibus omnis scientiae axiomatibus.

{ de natura (philosophia naturalis), sive ascensoria ab effectibus ad causas, sive descensoria a causis ad effectus.

{ speculativa — — cognitio legum naturae.

{ { physica — — circa causas efficientes et materiales.

{ { metaphysica — circa causas formales et finales.

{ practica — applicatio legum naturae. — Ad hanc mathesis est scientia mere instrumentalis.

de homine

{ philosophia humana seu anthropologia.

{ { somatologia

{ { psychologia

{ { { de anima rationali, quae est a spiraculo Dei.

{ { { de anima irrationali, sensibus et perceptionibus.

{ { { logica, ad illuminationis puritatem,

{ { { ethica, ad liberae voluntatis directionem.

{ de Deo, quae non dividitur, quia solam existentiam Dei demonstrare potest, cetera omnia ad scientiam ex revelatione rejicere debet.

{ supernaturalis, ex revelatione omnem scientiam humanam complens.

2) In altera operis parte quae est « Organum novum » ostendit qua methodo in scientia procedendum sit, in interpretanda rerum natura; haec enim ex praecedentibus divisionibus apparet esse sola scientifica nostra cognitio. — Imprimis igitur removenda sunt impedimenta scientiae, seu causae errorum, quas vocat idola (quia falsa scientia sit quasi idololatria intellectualis, cultus veritati debitus, falsitati praestitus). Ea sunt : a) *idola tribus*, i. e. praejudicia communia omnibus hominibus; b) *idola specus*, i. e. praejudicia individualia; c) *idola fori*, i. e. praejudicia ab hominibus sibi mutuo communicata; d) *idola theatri*, i. e. praejudicia ex auctoritate philosophorum et doctorum apud suos enascentia. — Deinde tenenda est observatio naturae et inductio, cujus regulae sint : a) simpliciter observare phaenomena naturae, et has observationes vocat *instantias naturae*; b) observationes in tabulas colligere facili ordine redactas, quas vocat *comparationes instantiarum*; c) per inductionem pervenire ad realem mundi cognitionem. — Eandem methodum etiam ethicae et juri applicandam esse censet.

Bacon consequentias omnes non praevitit quas nos ex ejus principiis deductas videmus, at nihilominus logice exinde ac necessario ad materialismum et scepticismum hodiernum deveniendum erat. Metaphysicae certe et morali scientiae plurimum nocuit et interitum paravit; physicis autem scientiis experimentalibus multum profuit, jam enim omnes naturae observandae, novis ac variis experimentationibus instaurandis, factis calculo mathematico subjiciendis incumbere coeperunt, novasque scientias physicas, chemicas, aliasque fundaverunt.

2° *Thomas Hobbes*, Malmesburgensis, 1588—1679, Baconis amicus et discipulus, vixit diu in Gallia, ubi adolescentem regem Carolum II Angliae exulem educavit, vir ingenio et moribus corruptus. Is purum materialismum docet; a) *quoad naturam* : corpus esse substantiam, et substantiam quae non corpus sit, esse figmentum; — hominem esse corpus tantum, subjectum cogitationis; — spiritum esse corpus quod ob subtilitatem non agit in sensus; — universalis esse mera verba pluribus applicabilia; — negat libertatem indifferentiae, appetitum enim necessario trahi bono majore; libertatem non esse nisi immunitatem a coactione in executione. — Bonorum primum est sua cuique conservatio, morumque regula nulla communis, sed quod cuique convenit.

b) *quoad societatem* : natura cuique dedit jus ad omnia, estque status homini naturalis bellum omnium cum omnibus; — hinc necessarium remedium conventio in societatem, ad mutuam pacem et auxilium; — et quia « pactis standum est, » oritur obligatio vinculi socialis, et potestas uni collata ab omnibus, sua singula jura in eum transferentibus; — hinc potestas illa absoluta est, omnia justa vel injusta faciens, ipsamque religionem ordinare potest.

Theoria Hobbesiana suprematis potestatis civilis in res omnes, etiam religiosas, tunc quidem regibus favebat, mox vero, post Gallicas turbationes

favit plebi dominatrici, et hodie apud plurimos liberales, praesertim in nostris constitutionalibus statibus, applicatur.

§ 2. RATIONALISMUS CARTESIANUS.

1° *Renatus Cartesius (Descartes)*, Hagae Turonum natus, 1596—1650, philosophiae et theologiae studuit, mathesis et physices peritus fuit. Miles varias regiones perlustravit Italiae, Germaniae, Austriae, Bohemiae; tandem in Bataviam concessit, opera sua scribens; in Suetiam a Regina vocatus, Holmiae obiit. Vir priore media parte suae vitae valde agitatus, altera parte remotus ac solus in seipsum reflectens, animi semper inquieti; scientiis mathematicis et physicis veros profectus contulit, sed in philosophicis plurima perperam somniatus, fere nihil ad veritatem et profectum aliquem serium conducens produxit. — Ejus philosophiae, mox late celebratae, haec summa est :

a) *quoad methodum philosophandi*. Dubio circa existentiam verae certitudinis affectus, nec tamen in scepticismo quiescere volens, fundamentum solidum omnis certitudinis, quale nondum esse inventum censet, inquirit. Quod quum extra se nullum cernat, in seipsum reverti statuit, ex reflexione totam quaestionis solutionem evoluturus. Igitur, fide supernaturali religionis, et fidelitate erga patriam, intactis et nullo modo discussis, reliqua omnia exuere, ut dubia vel imo ut falsa habere constituit donec solide clareque probentur; omnia enim argumentis subruere possunt (nempe scepticorum), nec sunt ad evidentiam probata. — Unum tamen invenit de quo, etiam attente reflectens et volens, tamen dubitare non potest : se nimirum dubitare, i. e. cogitare, ac proinde existere. Primum igitur verum et certum, propter nimiam suam claritatem se menti obtrudens tamquam accipiendum, est illud : « cogito, ergo sum; » quae veritas cardo totius philosophicae speculationis, fundamentum inconcussum omnis certitudinis erit, et criterium omnis veritatis. Hinc prima conclusio, « omne id quod clara et distincta idea cognoscatur, hoc esse verum. » — Inde agnoscit seipsum esse « substantiam, » et quidem « immaterialem, » quum possit cogitare, etiamsi deesset omnis extensio, figura, motus, corporeitas; porro « identicum cum sua cogitatione, » quia ex eo dumtaxat jure concludat suam existentiam et essentiam, quod cogitet, neque ulterius quidquam affirmare de se possit. Hinc etiam primum cognitum est propria sua existentia. — Ex eodem principio ideae clarae deducit Dei existentiam; nam reflectens in se invenit illam ideam elaram Dei, ex cujus analysi eruitur nota essentialis existentiae, et nota infinitatis quae quum ex causa finita procedere non possit, debuit ab ipso infinito nobis esse indita; sed et ipsa nostra existentia non potuit esse a se, sed debuit ab auctore primo esse causata. — Postea ex veracitate Dei, creatoris nostrae naturae, deducit veracitatem nostrarum facultatum, ac proinde veritatem existentiae mundi extra nos; consequenter omnem certitudinem